et minutis animalibus et bestiolis se interdum in coitu conmiscet, que, cum pullos generant, secundum matrem et non secundum patrem formas habent. Sed tamen aliqui eorum secundum colorem pennarum patris in crinibus suis interdum colorati sunt. Et ipse pavo, cum bestiolas illas currere videt, eas de se natas cognoscit et diligit. Sed pavo, scilicet femina, cum ova sua ponit, ea abscondit ne masculus suus illa videat, quasi eam pudeat ova protulisse, **3** et non nuda carne pullum, **4** *quoniam masculus de bestiali natura sua vellet ut nuda carne pullum* **5** generaret et non testa ovi opertum, et ideo ova odit et ea confringit si illa invenerit. **6** Et sic femina ova sua abscondit et ea custodit, ne masculus illa videat, usque dum pulli de ovis egrediantur. Sed adhuc pullos suos tam diu celat, dum plus crescant et dum currere possint. Postquam autem ita confortantur quod ire possunt, tunc cum illis ad masculum suum procedit. Et ille, eos ire videns, pullos suos esse intelligit, et cum pennis suis illis applaudit, et gaudium habere ostendit. Sed tamen femina eosdem pullos adhuc ab eo segregat et ab eo movet, usque dum plus confortentur, quia timet quod ille pedibus suis eos conculcet. **7** Sed et idem masculus quandam altitudinem querit, in qua aerem illum flare intelligit, de quo penne eius **8** crescant, et ad illum se convertit, et ibi sepe moratur. Et de flatu eiusdem aeris penne eius **9** in multitudinem et in longitudinem cito educentur. Quod cum viderit, de eis gaudet velut bestie de saltu suo. Sed et alius aer postea easdem pennas afflans eas emollit et educit, et inde tristatur dum iterum crescunt. Femina autem aerem illum de quo penne ei crescant non querit, sed velut in constrictione circa inferiora versatur. **10** Caro autem pavonis ad comedendum nec sanis nec infirmis hominibus valet. **11** Sed qui sanus est eam quidem superare poterit. **12** Omnes noxios humores qui in infirmo sunt conmovet et excitat. **13** *Sed homo qui ydropicum morbum habet, pavonem scilicet masculum in aqua putei non autem in aqua salientis fontis cum ysopo coquat, et carnes illas comedat. Postea cor et os quod in genu illius volvitur et ungues ipsius pulverizet, ita quod pulvis de osse genuum bis tantus sit quantus pulvis unguium et quod pulvis cordis eius tribus partibus pulverem ossium genuum excedat. Deinde pandoniam / [**batheniam**] et ter tantum de levistico et modicum de sagimine anguille in vino coquat, et per pannum colet et huic vino predictum pulverem inmittat, et ita bibat et hoc per decem et octo dies faciat.* **14** *Carnes enim pavonis sicce sunt et fortes contra ydropicum morbum, et ideo de masculo propter fortitudinem suam esse debet. Sed cum ysopo coquentur, quia ille in siccitate et in suavi calore suo superfluam humiditatem suam eiusdem morbi exsiccat, et in aqua putei coquentur, quoniam hoc quoque siccas venas aquarum habet, et magis ydropicum morbum consumit, quam aqua salientis fontis que aliquantum magis aquosa est quam aqua putei, et ideo eundem morbum humiditate sua augeret. Cor autem pavonis pulverizatum suffocat morbum quod in genibus eius volvitur, quoniam venas cruris eius ligat et etiam eundem morbum ne ultra procedat.* **15** *Ungues vero fixuras eiusdem morbi, ne quasi in saliente aqua exsurgunt, deprimit, aqua quoque eiusdem morbi calorem*